¶ In iſta pte autor ſeipm̄ excuſat ꝛ reprehēdit di. ꝙ cecus nō debet ducē cecū ne ambo cadāt in foueā. Sed tn̄ non debemꝰ ꝓhibē inſanū alanū

quin ducat cecos dubio calle.i.ꝑ obſcuras parabolas. Et non queritˀ ꝙ turpe offendat pedes ſuos eundo.ſꝫ queritˀ quare tam pauci ſequũtur eũ nocte Et ammiroꝛ ꝙ ille arripit viam lucis quẽ non cõſtat viam ſciuiſſe aut iuiſſe. ¶ Cõſtrue(cecus ꝓhibetˀ ſimplˀr ducere cecũ.nec cecus ducat cecum ſuũ in antra).i.foueam(Sꝫ tñ non debemꝰ prohibere inſanũ alanum).i.furioſum alanũ(quin velit ducere cecos).i.rudes(calle dubio) id eſt doctrina obſcura Et(nõ queritˀ ꝙ turpe offendat pedes eundo.ſꝫ) ſupple queritˀ(quod tam pauci ſequũtur eũ nocte.miroꝛ et ammiroꝛ ꝙ ille arripit iter lucis.quem nunꝙ̃ cõſtat ſciſſe vel iſſe viam)

Ad bellum quia durus erat migrauit achilles
Egiſto thalamos ingrediente domi
Qui iacet in plumis nil duri paſſus in illis
Non valet aſſuetus vix tolerare malum
Imbribꝰ et ventis mutat gena laſſa coloꝛem
Vritur et leuiter ſole tenella cutis
Mollibꝰ aſſuetus clipeũ bene nõ gerit armis
Nec retinet gladiũ firmiter vncta manꝰ.

¶ Ponit aliã ꝑabo.di.ꝙ illi qui nõ ſunt delicate nutriti ſunt foꝛtes.et dat nobis exemplũ ꝑ achillẽ.qꝛ achilles nõ fuit bñ nutritꝰ.ꝛ iõ fuit bñ foꝛtis ad bellandũ.ſed egiſtus fuit bñ nutritꝰ.ꝛ iõ fuit luxurioſus. Vñ dicit.Qui iacet in plumis nihil duri habetˀ in illis. ¶ Con(Achilles) ille hõ(migrauit ad bellũ)qꝛ erat durus(Egiſto)illo viro(ingrediente thalamos domi)Et(vir qui iacet in plumis.nil(ꝑ nõ ꝛ aliq̃d(nõ paſſus aliq̃d duri in illis)ſcꝫ plumis ꝛ ſupple talis vir(aſſuetus)ſcꝫ in plumis(nõ valet tolerare).i.ſuſtinẽ(malum)..aduerſitates. Et(gena laſſa imbꝛibꝰ ꝛ ventis).i.ꝑ imbꝛes ꝛ ventos(mutat coloꝛẽ).i.pulchꝛitudinẽ (et tenella cutis).i.tenera pellis vꝛitur leuiter ſole. Et ſupple hõ.aſſuetus mollibꝰ armis non bene gerit clipeum. Nec manus vncta).i.mollis(non firmiter retinet gladium)

Non omnis ſocius fidus eſt.nõ omne fidele
Pectus.nõ omni me ſociare volo
Qui ſocius volet eſſe meꝰ.non alter et idem
Fiat ego.qui nõ eſt ſatis alter ego
Non teneo ſociũ qui ſcit quod neſcio.vel qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Jd quod non habeo me preter illud habet
Cum ſocio ſocius deliberat omnia doctus
Cum ſibi concordāt conſona corda duo.

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ nō omnis ſociꝰ eſt fidelis. nec etiā
omne pectꝰ eſt fidele. imo qui vult eſſe bonꝰ ſocius debet eſſe fidelis. ⁊ ideo
qui vult eſſe ſociꝰ mecum nō ſit alter qꝫ ego. qꝛ qui eſt alter qꝫ ego nō eſt
ſociꝰ mecum. ¶ Cōſtrue (Nō omnis ſociꝰ eſt fidus nec omne pectꝰ eſt fi
dele) quare (nō volo me ſociare omni) hoī. ⁊ ſupple ille (qui volet eē ſoci-
us meꝰ fiat idem ego ⁊ non alter) qꝫ ego. Et ſupple ille (nō eſt ſatis alter
ego. qui nō) ſupple facit hoc. Et (non teneo) illum (ſocium) meum (qui
ſcit quod) ego neſcio. vel qui id quod) ego (non habeo preter me habet il
lud) quia doctus ſocius deliberat omnia cum ſocio) ſuo (cum) id ē ex quo
(duo corda conſona concordāt ſibi.

Craſtinus ingrato procraſtinat oīa more
Et de cras vno cras mihi mille facit
Cur hodie nō multiplicat qui multiplicat cras
Nonne dies ſolem ſignat vterqꝫ ſuū
Poſt hodie cras eſſe ſolet cū ſole reductum
Sed nō cras illud quod mihi ſpondet habet
Cras illud nunqꝫ. nec ſol orietur in illo
Cum cras venturꝫ ſit ſine fine ſuū

¶ Ponit aliam parabolam dicēs. ꝙ erat quidam homo qui vocabatur
craſtinus ⁊ ſemper ſpondebat ſuis aliquid dare pro cras. ⁊ nunqꝫ deueni
ebat ad illud cras. quia ſemper dicebat cras habebitis. ⁊ nunqꝫ peruenit
ad actum nec etiam in corde habuit ad tradendum. ¶ Conſtrue (craſti-
nus) ille vir ſic dictus (procraſtinat) id eſt de cras in cras promittit ſup
ple mihi (omnia more) id eſt in ꝯſuetudine (ingrato. ⁊ ſupple craſtinus
(facit mihi mille cras de vno cras) id eſt de vno die craſtino (Cur) id eſt
quare ſupple ille (non multiplicat hodie qui multiplicat cras. Nonne
quaſi diceret ita (vterqꝫ dies) id eſt quilibet dies (ſignat) id eſt habet (ſu
um ſolem) quia (cras ſolet eſſe reductum cum ſole poſt hodie) id ē poſt
hodiernum diem (Sed cras non habet illud quod mihi ſpondet) id eſt
promittit: quia (illud cras nunqꝫ) ſupple erit (nec ſol orietur ī illo) ſup-
ple cras (cum ſuū cras venturꝫ ſit ſine fine) id eſt ſine termino.

¶ Sequitur capitulū Quintum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

¶ Capitulum quintum.

NOn ſunt digna coli quecũqȝ coluntur in orbe
Jugera. nec fodi vinea queqȝ manu
Quid prodeſt parare ſolum vel fodere vitem
Cum nihil hoc fructus. nil ferat illa meri
Incultus requieſcat ager ſteriliſqȝ quieſcat
Vt vitis nunqȝ vindemianda mihi
A ſimili ceſſare probo debere datorem
Qui colit indignos. et ſua tradit eis
Qui ſua dat dignis. ſerit et metit vnit et amplat.
Indignis vero res data tota perit

¶ Hoc eſt quintum capitulum hui⁹ libri. in quo procedit per decem. et decem verſus. ⁊ poteſt diuidi in tot partes quot ſũt particule. vt patebit in legẽdo litteram ꝑmo ponit ſentẽtiam prouerbialẽ. et dicit. quid prodeſt arare vel fodere terram. vel vitem ſterilem id eſt non faciẽtem fructũ et dicit ꝙ nõ prodeſt. quia nullus fruct⁹ procedit de illa ſterili terre vel vite. Etiam ad ꝓpoſitum. quid prodeſt dare bona ſua hominib⁹ prauis vel malis. perdit omnia illa. quia praui nõ curant nec memorãt. Sed ille qui dat bonis hominib⁹ non perdit. immo ſerit metit vnit ⁊ amplat

¶ Conſtrue (quecũqȝ iugera) id eſt quelibet ſpacia terre (que calũtur in orbe nõ ſunt digna coli) id eſt arari (nec) pro et nõ. et (quecũqȝ vinea) nõ eſt nigna (fodi manu). i. cum manib⁹ (Quid prodeſt parare ſolum) id ẽ terram (vel fodere vitem). i. vineam (nihil) pro nõ ⁊ aliquid (cum hoc) ſcȝ ſolum (nõ ferat). i. nõ faciat aliquid fruct⁹) id eſt proficui. et (illa) ſcȝ vinea (nil ferat meri) id eſt vini. Ergo (ager incultus) id ẽ infructuoſus (quieſcat) et (ſterilis vitis nunqȝ. pro non et vnqȝ (vindemiãda mihi) id eſt a me (A ſimili probo datorem debere ceſſare qui colit indignos. ⁊ qui tradit eis ſua bona. ⁊ ſupple ille (q̇ dat ſua) bona (dignis ſerit metit. vnit et amplat (bona ſua) Res ꝟo data indignis perit tota. i. totaliter)

Nos aſinus ridere facit dum more leonis
Pingitur. et vulpes ſubdola cogit idem
Exuat hic pellem qua ſe putat eſſe leonem
Vt patiens oneris iuſſa ſequatur heri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Hortor et vt vulpes propria ſub pelle quieſcat
Ne moueat riſum pelle leonis ouans
Inflando ſe rana boui par eſſe volebat
Vlciſci pullos quos pede preſſit aquis
Aſt bos iurauit ranūculus ante creparet
Per medium q̄ʒ par efficeretur ei

¶ ¶ Ponit aliam parabolam dicēs. ꝙ aſinus facit nos ridere dum pingit more leonis. quia leo eſt rex animalium. Etiam vulpes induit pellē leonis. ⁊ vult eſſe leo per fraudem. Dicit ergo ꝙ vulpes ſtabit ſub ꝓpria pelle. ⁊ aſinus portabit blada et molendinum puta pertinet ad eos. Itē accidit ꝙ bos ibat per campos ⁊ inuenit ranam. cui bos occidit ſuos ranunculos Quapropter rana indignata cupiebat fieri equalis boui vt ſe vlciſceretur de ranunculis ſuis ⁊ cepit ſe inflare adeo ꝙ medium crepuit ¶ Conſtrue) aſinus facit nos ridere dum pingitur more leonis. et vulpes ſub dolo cogit idem) ſcʒ nos ridere (hic) ſcʒ aſinus (exuat pellem qua ſe putat eſſe leonē. vt patiēs oneris ſequat͛ iuſſa). i. precepta (heri). i. domini. Et ſupple ego (hortor vt vulpes quieſcat ſub ꝓpria pelle (et non aliena (ne ouans). i. gaudens (pelle leonis moueat riſum). i. deriſionem. Et (rana volebat eſſe par) id eſt ſimilis (boui ſe inflando (rana nequā volebat (vlciſci) id eſt vindicare (pullos quos) bos (preſſit aquis) in aquis (pede). i. cum pede (Aſt bos iurauit) vt (ranunculus ante creparet ꝑ medium q̄ʒ efficeret͛ par). i. ſimilis (ei) ſcʒ boui

Surgentem druſſus feſtinat radere barbā
Ne noceat lippe vocibꝰ vmbra gene
Apponit ſpeculū. ſpeculo monſtrāte relictos
Forficibus tollit forpicibuſqʒ pilos
Et ne prurigo caput occupet omnibꝰ horis
Lotricem promptā. que lauet illud. habet
Preterea faciebꝰ aquam manibuſqʒ miniſtrat
Quottidie ſcopis a ſcobe tecta piat
Hoc facit exterius. ſʒ ſordes colligit intus
Nec ſibi creſcentes radere curat eas

¶ Ponit aliam parabolam dicēs. ꝙ barbitonſor quidā nomie druſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

parat barbam ne noceat. ⁊ apponit ſpeculum ante eos quos parat. ⁊ hȝ
lotricem q̄ mūdat domū interiꝰ. Et dᷓt autor ꝙ iſte qui mūdat domū ex
teriꝰ nō mundat eam interiꝰ. qꝛ eſt plenꝰ peccatis. ¶ Cōſtrue (druſſus)
ille barbitonſoꝛ (feſtinat radere barbā ſurgētem. ne vmbra lippe gene no
ceat vocibꝰ. apponit ſpeculum. ⁊ tollit pilos relictos foꝛficibꝰ ⁊ foꝛpici-
bus ſpeculo monſtrāte) Et ſupple barbitonſoꝛ (hȝ lotricem promptam
que lauet caput. ne prurigo occupet illud omnibꝰ hoꝛis) et ſupple lotrix
(preterea miniſtrat faciebꝰ aquam manibꝰ). i. cum manibꝰ. ⁊ ſupple lo-
trix (piat) id eſt mūdat (quotidie tecta ſcopis) id eſt cum ſcopis (a ſcobe)
id eſt ab immūdicie (hoc facit exterius. ſed intus colligit ſoꝛdes) id ē pec
cata (nec curat eas reddere creſcentes ſibi)

Conſtat vt illa manꝰ primo perpulchꝛa lauetur
Que ſibi preſumit vaſa lauare dei
Munda manꝰ mundum vas qđ lauat efficit illud
Soꝛdida ſoꝛdidius q̄ȝ foret ante facit
Tacta luto ſubducta ſibi trahit inſita ſoꝛdes
Et nigra fit ſubito que prius alba fuit
Non me verrucas iuſte reprehēdit habētem
Qui ſibi poꝛtanti tubera parcit homo
Vlceribus plenum primo ſe liberet ipſum
Poſtea verrucas rideat ille meas

¶ Poit aliā pabo. di. ꝙ certū eſt ꝙ illa manꝰ pulchꝛa lauet᷑. que p̄ſumit
lauare vaſa dei. qꝛ notū eſt ſatis ꝙ ſi manꝰ fuerit īmūda vas ꝙ lauabit erit
immūdum Cōcludit ergo. ſi manꝰ nigra ponat᷑ in luto turpi tūc efficiet᷑
turpioꝛ. Itē homo qui hȝ verrucas in manu nō debet me deridere ſi ego
habeā eas. qꝛ ſi dicēt quare tu habes verrucas. poſſem etiam dicē quare
tu habes. Sed qn̄ quis eſt purus tūc bene p̄t reprehēdere alios. ¶ Con
ſtrue (Conſtat) id eſt certum eſt (vt illa manꝰ perpulchꝛa lauet᷑ p̄mo que
preſumit ſibi lauare vaſa dei) quia (munda manꝰ efficit) id eſt facit (illud
vas mūdum qđ lauat) et manus (ſoꝛdida facit) vas ſoꝛdidius q̄ȝ ante fo
ret) id eſt fuit (⁊ ſupple manus (tacta luto) et ſubducta) atqȝ (inſita) ſup
plē luto (trahit ſibi ſoꝛdes) id eſt putredines. ⁊ ſupple manus (fit ſubito
nigra q̄ prius fuit alba) Sic (homo nō iuſte rep̄hendit me habentē ver
rucas. qui parcit ſibi poꝛtāti tubera). i. gibbos. Ergo hō (liberet p̄mo ſe
ipſum vlceribꝰ plenū ⁊ poſtea ille rideat). i. derideat (verrucas meas)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Nemo poteſt pugilem nexu proſternere fortem
Nec lucte patiens aggrediatur eum
Nunq̃ formoſe cecidiſſent menia troie
Ni ceptus fuerit quo cecidere labor
Incipiat quicũq; cupit bonus et pius eſſe
Dimidiũ facti qui bene cepit habet
Quomodo fiat opus niſi primitus incipiatur
Omnia principiũ conſtat habere ſuũ
Audacem fortuna iuuat. nil grande cor audax
Terret. nil animi quicquid abhorret habet

¶ Ponit aliam parabolam di. q̄ nemo p̄t proſternere fortem pugilem nexu id eſt in lucta. niſi egrediatur fortis vel ſit patiẽs dimittẽdo ſe proſternere in terram. ſicut menia troie nunq̃ cecidiſſent niſi labor fuiſſz inceptus quo ceciderũt Et ille incipiat bene quicũq; cupit eſſe bon⁹ ⁊ pius quia qui bene incepit dimidium effectus habet quia quod noua teſta capit inueterata ſapit. quia deus dicit. incipe ⁊ ego iuuabo te. ideo vult concludere q̄ fortuna iuuat audacem. ¶ Conſtrue (Nemo poteſt proſternere) id eſt ſuperare (nexu lucte) id eſt in cõgreſſu certaminis (fortẽ pugilem. ni) pro niſi (patiẽs aggrediat̄ eum) fortem. Item (menia formoſe troie nunq̃ cecidiſſent niſi labor fuiſſet incept⁹ quo cecidere). i. ceciderũt. Et ſupple ille (incipiat quicũq; cupit eſſe bonus et pius) quia (qui bene incepit habet dimidium facti). i. effectus (Quomodo op⁹ fiet niſi incipiatur primit⁹) quia conſtat omnia habere ſuũ principiũ) Et fortuna iuuat audaces. nil) pro nõ ⁊ aliquid (quicq̃d abhorret non habet aliquid animi) magnanimitatis.

Non potis eſt magnus gibbo ꝓhibẽte camelus
Pertrãſire breuis leue foramen acus
Nec tranſire ſinit locupletem ianua celi
Dum cogit miſeꝝ ſiſtere pondus opus
Cur anime mortem tam prauo corde requiris
Cur ſibi quod tollit viuere captat homo
Felix eſt pauper quẽ pauperat ipſa volũtas
Non eſt quod terga cum petit alta grauet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Nec latro nec predo nec fur. vafer inſidiatur
Dum capit aſſumptas abſqꝫ timore vias

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ camelus habens gibbum in dor-
ſo non poteſt tranſire per foramen acus. Etiam dicit ꝙ mirum eſt locu
pletem intrare in regnum celorum. ideo eſt differētia. quia aliqui ſunt de
bona fide ⁊ aliqui nō. Deinde dicit ꝙ ille qui eſt pauper voluntate ē felix
ſed qui non eſt voluntarie pauper eſt infelix. quia ſi pauper vadat per ne
mora vel per alium locum vadit leuiter. et diues non. ſed ſemper timet
amittere ſuas diuitias nec vult gaudere. ¶ Conſtrue (camelus magnus
non potis) id eſt potens (pertranſire foramen acus breuis) id eſt parue
(Nec ianua celi non ſinit locupletem tranſire) id eſt intrare (dum pon
dus opus) id eſt diuitiarum (cogit miſerum ſiſtere) id eſt ſtare (Cur ho-
mo requirit mortem anime tam prauo corde) id eſt cum iniqua conſcien
tia (Cur homo tollit ſibi) illud (quod captat viuere) id eſt vitam. Et il-
le (pauper eſt felix quem ipſa voluntas pauperat) id eſt pauperem facit.
Et (non eſt qđ grauet terga) .i. decipiat (cum petit alta) .i. celeſtia (Nec
latro. nec predo. nec fur, nec vafer) .i. cautus vel ſubtilis (inſidiat̄) inſi-
dias ponit (dum capit vias aſſumptas abſqꝫ timore.

Mille vie ducunt hominem ꝑ ſecula romam
Qui dominū toto querere corde volunt
Eſt via que ducit montes directa per altos
Vepribus et ſpinis arduitate grauis
Eſt quoqꝫ nōnullus callis. quē calculus aſper
Aſperat. et plantas quotidianus arat
Eſt via per pontū. via per deſerta per inuias
Valles. per ſcopulos. per loca dura pedi
Per nemus et latebras. ꝑ luſtra timenda ferarꝫ
Per ſpinas tribulos. per luculenta vaga

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ multe vie ducūt hominē romam.
etiam qui vult querere dominum ex toto corde ſuo via directa eſt que ſur
git per altos montes. ⁊ nōnullus callis id eſt aliquis callis paruꝰ ſiue la
pis ſuperat aſpera. Etiam via eſt per ponthum per deſerta. vt apparet ī
textu. ideo cōcludit ꝙ multe ſunt vie ad eundum ad paradiſum. quia ali
qui vadunt per elemoſynas. ⁊ aliqui per peregrinationes. ⁊ ſic de alijs.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

¶ Conſtrue(mille vie ducūt homines romam ꝑ ſecula. qui volūt querē
toto corde dominū via eſt directa q̄ ducit ꝑ montes altos(via eſt)vepri
bus ⁊ ſpinis grauis arduitate)id eſt altitudine(quoqȝ)id eſt certe(nō
nullꝰ callis)id eſt aliquis(eſt quem aſper calculus)id eſt paruus lapis
(aſperat. et arat quotidianus)ſupple calculus(plantas. via eſt per pon
tum via)ſupple eſt(per deſerta)via eſt(per loca dura pedi)via ē(per ne
mus)via eſt(per latebras)via eſt(per vaga loculēta)via eſt(per ſpinas
et tribulos)via eſt(per luſtra timenda ferarum)

Semꝑ hiat coruus. ſemperqȝ cadauera captat
Semꝑ amat mortē. mors quoqȝ paſcit eum
Quem ſua debilitas. et quē premit ipſa ſenectꝰ
Letificant illum cū putat ipſe mori
Non ſolum coruus morituris inſidiatur
Maxima pars hominū iam facit illud idem
Filius ante mortē patris optat vt heres
Fiat. et vt miſeras lege capeſcat opes
Proch dolor in clerū tranſit dolor et ſcelus illud
Hic emit eccleſiam dum tenet alter eam

¶ Ponit aliam parabolam dicēs. ꝙ ſemꝑ coruus hiat vt habeat cadaue
ra. amat mortem ſemꝑ. vt mors paſcat eum. etiam ille quē debilitas ſua
premit. ⁊ ille quem ſenectus premit letificat eum. Item nō inſidiat̃ cor
uus ſolum morituris quia maxima pars hominū facit hoc quia filiꝰ op
tat mortem patris vt ſcȝ capeſcat multas res et opes. ſed ille dolor ep̃s
inter laicos iam tranſit in clerum. quia vnꝰ emit eccleſiam dum alter ad
huc viuit. ¶ Conſtrue(coruus hiat ſemꝑ ⁊ captat). i. cupit(cadauera.
amat ſemꝑ mortem. quoqȝ). i. certe(mors paſcit eum. ⁊ quem ſua debili
tas ⁊ quem ſua ſenectus premit: letificat illum)ſupple coruū. quia(ipſe
putat mori)ſcȝ predictus coruus nō ſolum inſidiat̃ mortuis. pars ma
xima hoīm facit hoc iam). i. nūc(illud idem. filiꝰ optat). i. deſiderat(mor
tē patris ante diem). i. ante tempꝰ(vt fiat heres ⁊ habeat multas opes)
id eſt diuitias(proch dolor illud ſcelus trāſit). i. ſuccedit(in celū: dum)
pro quādo(alter tenet eccleſiā. ⁊ hic)ſcȝ alius(emit eam)

Bis bos percutitur dum ferrū ſentit acutū
Si contra ſtimulū calcitret ipſe ſuum

Efficit ex vno duo vulnera vulnere ferrū
Vlterioꝛ primo peioꝛ et ictus erit
Cur igitur dn̄o ſerui parere creati
In dn̄m rabie pectoris arma leuant
Hic furoꝛ. hec rabies. hec indignatio riſum
Pꝛebet. et inuiſum querit habere malum
Dum caput oppoſitū dn̄o ſtomachāte tenebit
Grauiter euaſit vincula dauus heri.

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ bos percutitur dum calcitrat cō tra ſtimulū ⁊ facit duo vulnera ex vno vulnere ⁊ vlterioꝛ ictus eſt peioꝛ primo. ergo cum ſerui coacti parere domino. leuāt pectoris rabiem con tra eū. hic furoꝛ. hec rabies. hec indignatio mouet nos ī riſum. ideo con cludit ꝙ nos debemꝰ facē ſicut faciebat ille ſeruꝰ qui erat patiens coꝛam domino ſuo: quia cum dominꝰ ſuus iraſcebatur ſibi. patiēter ſuſtulit oīa facta domini. ¶ Cōſtrue (bos percutitur bis dum ſentit ferrum acutū) id eſt aſperum. et ſi ipſe) ſcꝫ bos calcitrat cōtra ſtimulum. ſuū ferrum effi cit) id eſt facit (duo vulnera. ex vno vulnere. ⁊ ictus vlterioꝛ) id ē poſte rioꝛ (eſt peioꝛ primo. Cur igitur ſerui creati parere). i. obedire (domino leuant arma contra dominum ſuū rabie pectoris. hic furoꝛ. hec rabies. hec indignatio pꝛebet riſum et querit habere malū inuiſum) ſupple ille ſeruꝰ (euaſit ſuauiter vincula heri). i. domini (dum tenebit caput oppo ſitum). i. pꝛonum. ⁊ hoc (domino ſtomachante). i. iraſcente

Immomētaneo non eſt modus immoderato
Dum baratro donat quicq̄d habere poteſt
Non minus excedit noꝛmā rationis auarus
Dum nil expendens ſemꝑ aceruat opes
Nemo ſequatur eos. quoniā vicioſus vterqꝫ
Eſt via quam virtus inter vtrūqꝫ docet
Hic canis ille lupus cum carnē deuoꝛat alter
Vulpes vt occultet ſeu canis alter opes
Frontibus aduerſis pugnātia crimina ſecum
Vitet. qui vite capere curat iter

¶ Ponit parabolam dicēs ꝙ ſicut īmomētaneus immoderate ſua expo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

nit.ſic nõ minus auar⁹ excedit viam rõnis ſue nimis ſtricte retinẽdo.et ſic nullus ſequatur eos.ſed tenẽdum eſt medium.Et dicit quod imomẽtane⁹ aſſimilatur cane.Poſtea dicit quod ille qui vult cape iter vite.crimia vitet,pugnãtia frõtib⁹ aduerſis ¶ Cõſtrue(mod⁹ non eſt imomẽtaneo imoderato.dum donat baratro).i.inferno(quicq̃d poteſt hr̃e.auar⁹ non min⁹ excedit normam rõnis.dum nihil expendens ſemp acceruat opes)id eſt accumulat diuitias(nemo ſequatur eos)quoniam vterq; eſt vicioſus(via ẽ quam virtus inter vtrũq; docet)hic canis)id eſt prim⁹ viuit ſicut canis(ille)id eſt alter eſt(lupus.cum alter deuorat carnem vt vulpes ſeu cais alter occultat opes)id eſt diuitias(crimina pugnãtia ſecum frontibus aduerſis vitet.qui curat capere iter vite)

¶ Capitulum Sextum

Si quis arare ſibi fructuoſum curat agellum.
Et mandare ſuũ poſtea ſemen ei
Primitus extirpet ſpinas.que fructib⁹ obſunt
Et vepres ſi que ſint ibi falce metet
Obſunt et filices cilices delere nociuas
Studet.qui ſegetes purificare volet
Non ſegetes quodcũq; ſolũ cum ſemine profert
Emergunt ſordes luxuriante fimo
Cura vigil bene curat agros.incuria quippe
Reddit eos ſteriles vnde poeta refert
Neglectis vrenda filix innaſcitur agris
Per filicem vicium denotat ipſe viri

¶ Iſtud eſt ſextũ capitulũ ⁊ vltimũ hui⁹ libri in q̃ autor pcedit p duodecim verſus cõnumerãdo ſp ſua documẽta.Et pt diuidi i plures ptes.que patebũt in pceſſu.Primo dicit quod ille q̃ vult arare agellũ ſuũ ⁊ mandare ei ſemen ſuũ.debet primit⁹ ⁊ prius extirpare ſpinas q̃ obſunt frugib⁹.⁊ metat vepres falce q̃ ſunt ibi.Poſtea dicit quod qui vult capere corp⁹ chriſti.debet eſſe mund⁹ ⁊ mũdare cõſciam ſuam.¶ Conſtrue(ſi q̃s curat arare ſibi agellum).i.agrum(fructuoſum.et)ſupple curat(mãdare poſtea ei ſemen ſuũ.extirpet).i.eradicet(primit⁹ ſpinas q̃ obſunt fructib⁹).i.nocẽti(et vepres ſi que)id eſt tribulos(ibi ſint.metet falce)tali inſtrumẽto(qui volet purificare ſegetes.ſtudeat delere nociuas cilices ⁊ filices)ſup-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

ple que(obſunt non eſt ſeges(quodcūqꝫ ſolum).i.terra(profert cum ſe-
mine fimo luxuriāte emergūt ſordes .vigil cura bene curat agros(quip-
pe).i.certe(reddit eos ſteriles incuria vnde poeta refert)id eſt dicit(filix
vrenda innaſcitur agris neglectis.vitium viri)id eſt homīs(ipſe deno-
tat)id eſt putat(per filicem)per talem herbam.

Neſcit homo quid dulcis hꝫ dulcedinis eſca
Qui nunq̄ꝫ didicit.quid foret ipſa fames
Poſt ſitis ardorem poſt eſuriem duo nobis
Dulcia ſunt valde potus et ipſe cibus
Dulcius hereſcūt humano mella palato.
Si malus hoc ipſum mordeat ante ſapor
Qui patitur frigus calidos veneratur amictus
Qui morbum magnum.ſortes ſalutis ouat
Qui bona falſa ſoli conſiderat et bona celi
Falſa ſinat penitus.et bona vera petat
Pectus ab illicitis et caſus exuat orbis
Qui volet in celis anticipare locum

¶ Ponit aliā parab.di.ꝙ hō qui nunq̄ꝫ habuit famē neſcit cognoſcē dul-
cedinē eſce.et ꝙ cibus ⁊ pot⁹ ſunt duo valde dulcia.⁊ d̄t ꝙ hō poſtq̄ꝫ gu-
ſtauit res amaras dulcia ſunt ſibi poſtmodū placidiora.Et qui ꝯſiderat
bona celi ⁊ falſa bona ſoli.i.mūdi.debet dimittē falſa ⁊ petē vera bona.Et
dicit etiā qui vult anticipare locū in paradiſo debet ſe cauere ab illicitis
caſib⁹ ⁊ factis.exuēdo ſe anteq̄ꝫ moriat̄ ab ipſis ⁊ mundādo ꝯſciam ſuā
¶ Conſtrue(neſcit hō quid dulcis eſca).i.cib⁹(habeat dulcedinis.qui
nunq̄ꝫ didicit q̄d ipſa fames foret).i.eſſet(pot⁹ et ipſe cib⁹ dulcia ſūt no-
bis valde poſt ardorē ſitis).i.poſt eſuriem(mella hereſcūt dulcius pala-
to humano ſi malus ſapor mordeat ipm̄ ante hoc).i.ante dulcē ſaporem
ſupple ille(qui patit̄ frigus venerat̄ calidos amictus)⁊ ille(qui)ſupple
patitur(magnum morbum)ouat ſorte ſalutis.Qui cōſiderat bona ſoli)
id eſt terre(eſſe falſa.et bona celi eſſe vera ſinat)id eſt dimittat(penitus
falſa ⁊ petat bona vera)ſupple ille(exuat pect⁹ a caſibus).i.ſcelerib⁹ om-
nibus qui volet anticipare)id eſt obtinere(locum in celis) Vn̄⁹.
Non meminit dulcia qui non guſtauit amara.
Neſcit homo plenus vitam quam ducit egenus.

Non bene viuit homo. quē rerum ſollicitudo.
Torquet et examinat nocte dieqꝫ metus
Non bene ſecurus dormit qui ꝑdere vitam
Vna cum rebusquas habet ipſe timet.
Vnde ꝑ exemplū legimus mōſtraſſe tyrannū
Qui non vt dicit verna beatus erit
Ad foueā ductus ſupra caput ipſi⁹ enſis
Pendebat. tenui vix. retinente filo
Huic dapi cōiunctam reſtem ꝑcepit et auſus
Non erat his. quoniā vidit vtrimqꝫ necem
Sic ait eſt de me lapſum caſumqꝫ timente
Eſt certum propria morte vel hoſte mori

¶ Ponit vnam parabolam dicēs. ꝙ non bene viuit homo quē torquet ſollicitudo. ⁊ metus ſeu timor examiat die ac nocte. etiam ille nunqꝫ dormit ſecur⁹ qui dubitat ꝑdere vitam cum diuitijs ſuis. Unde erat quidā homo qui vocabaꝛ tyrānus. ille erat in aliqua aqua ⁊ habebat ſitim nec audebat potare. habebat pomum ſupra naſum ⁊ nō audebat comedere. qꝛ habebat enſem ſupra caput ſuū. Sic ē de diuite qui ſemꝑ timet de inimico. ¶ Cōſtrue (homo nō viuit bene quem ſollicitudo rerum torquet). i. moleſtat (et metus examinat die qꝫ) pro et (nocte) ſupple ille (non bene dormit ſecur⁹. qui timet perdere vitam vna) id ē pariter (cum reb⁹ quas ipſe habet vnde legim⁹ per exemplum). i. per ſimilitudinem (mōſtraſſe tyrānum ꝙ verna) id eſt famulus (vt dicit nō erit beatus) ſupple tyrannus (ductus ad foueam pendebat ſupra caput ipſius) ſupple tyranni (enſis) id eſt gladius (retinente vix tenui filo) ſupple tyrānus (percepit reſtem). i. cordam (cōiunctā huic dapi) et ſupple tyrānus (nō erat auſus) ſupple comedere (quoniam vidit vtriuſqꝫ necem) ſcꝫ enſis ⁊ corde (et dicit ſic de me) et hoc (timente caſumqꝫ) pro et (lapſum. certū eſt mori propria morte vel hoſte) id eſt ab hoſte.

Ad mala facta malus ſocius ſociū trahit. et fit
Fit malus et nequā qui fuit ante bonus
Nec mirū. quoniā velocior ad mala pes eſt
Quā fit ad illud opus quod deus optat agi

Ima petit leuius q̄ʒ ſurgat ad ardua pondus
Quod vix de terra colla bouina trahunt
Nonne boues qui plauſtra trahūt qñqʒ trahūtur
Dum rota decliuo tramite mota ruit
Cum trahit hec ſurſum quantū valet ille deorſum
Impedit hec illum retroqʒ ſepe ruit
Nam magis eſt pronū celſo de vertice ſumptū.
Quā quod ab occidua valle reſurgit iter

¶ Ponit aliā parabolā di. ꝙ malus ſoci⁹ trahit bonū ad ſe. ꝛ fit mal⁹ ꝛ ne-
quam ꝙ̇ fuerat ante bon⁹. nec eſt mirum qꝛ pes homīs velocioꝛ ē ad ma-
lum q̄ʒ ad bonum. et q̄ʒ ad illud qđ de⁹ optat agi. Dicit etiā ꝙ pond⁹ gra
ue leuius tēdit ad ima q̄ʒ ad ardua. et etiā boues trahētes currum aliqñ
trahūtur. Ideo đt ꝙ ille ꝙ̇ vult eſſe bon⁹ ꝛ iuſtus nō debet ſequi malos.
¶ Cōſtrue (ſocius malus trahit bonū ſocium ad mala) ſupple opa ꝛ (fit
malus ꝛ nequā qui fuit ante bon⁹ Nec eſt mirū). i. nō debes mirari (quo
niā) pro quia (pes) ſcʒ homīs (eſt velocioꝛ ad mala) ſupple opa (q̄ʒ ſit ad
illud qđ deus optat agi) id eſt deſiderat fieri (pondus petit ima) id eſt in
ferioꝛa leuius q̄ʒ ſurgat in ardua. quod) ſupple pōdus (colla bouina tra-
hunt vix de terra. nonne boues qui trahunt plauſtra trahūtur quādoqʒ.
dum rota mota ruit) id eſt cadit (decliuo tramite. cum hec trahit ſurſum
quātum valet: illa deorſum. hec) ſcilicet rota (impedit illū. ꝙ) pro et (ca-
dit ſepe retro iter ſumptum de vertice celſo. non eſt magis pronum. q̄ʒ)
ſupple illud (quod ſurgit de occidua valle)

Aduena ſiluarum ſi beſtia forte caninam
Incidit in turbam nonne peribit ibi
Nonne chilindroꝝ moriuntur morſib⁹ illi
Quos via vel caſus protrahit inter eos
Quis. niſi ſit ſerpens. ſerpentibus aſſociatur
Cum grauiter pugnāt id quod inheret eis
Marceſcunt flores et gramina mortificātur
Que ſolo tactu fuſa venena cremant
Hos inter pueros dubios gens martia ponit
Vtrum ſe geniti ſint ita ſcire volens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Illis nam ſolis parcunt. vt dicitur. angues
Dum ſibi blandicijs oris amicat eos

¶ Ponit aliã parabo. di. ꝙ ſi beſtia aduena ſiluaꝝ cadat inter turbam ca-
ninam. nõne peribit ibi Sic aliqui reges hñt leones. et quãdo volũt ſci
re vtrum homo ſit bonꝰ vel malus ponũt ipſum int' leones. ⁊ ſi talis ſit
prauꝰ cito eſt mortuꝰ. ſi ſit bonꝰ ipſi dimittũt eum. Etiam aliqui ſolent
ponere ante tales leones pueros eoꝝ. volẽtes perſcrutari an ſint ab ipſis
geniti. ¶ Conſtrue (nonne) id eſt nunq̊d (ſi beſtia aduena ſiluarum) id
eſt aliena (cadat in turbam caninam peribit ibi) id eſt capietur (nonne il
li moriũtur moriſibꝰ chilindoꝝ) id eſt illoꝝ ſerpentum (quos via vel ca
ſus protrahit) id eſt ducit (inter eos) ſupple chilindros (quis ſociat' ſer-
pentibꝰ niſi ſit ſerpẽs. cum grauiter pugnant id quod inheret eis). i. ad
heret ſerpenribꝰ (marceſcũt flores ⁊ gramina mortificãtur. que venena
cremãt ſolo tactu. gens martia) talis populus (ponit pueros dubios in
ter hec) ſupple venena (volẽs ita) id ē taliter (ſcire vtrum ſint geniti ſe)
id eſt a ſe (angues parcunt illis ſolis) ſupple legitimis pueris (vt dicit'
dum) ſupple anguis (amicat eos blandicijs oris.

Dum curuare potes vel curuã tendere virgã
Fac vt ad libitũ ſtet tua planta tuũ
Cum vetus in magnũ fuerit ſolidata vigorẽ
Non leuiter flectes imperiale caput
Rurſus ſi tortam patieris ſurgere primũ
Semper vt eſt primo torta manebit ea
Sic homo dum puer eſt doceatur iuſſa tenere
Ne cor aſſuetis imbuat ille malis
Argille figulis q̄uis mutauerit ollam
Sed ſicce formam non adhibere poteſt
Ceruinam pellem latrat per tecta catellus
Primitus: ad ſiluas doctus vt ire queat

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ plantam tuam curuabis ad placi
tum tuum dum recẽs ⁊ adhuc iuuenis ſit. quia ſi velis eam curuare quã
do erit robuſtior et magna non poſſes. Etiam dicit ꝙ quando puer ē iu
uenis debes ipſum bonis moribus aſſuefacere. Item dicit ꝙ figulus nõ
poteſt facere formam ollarum dum terra eſt ſicca ſed dum eſt humida fa

cit volūtatem ſuam. Item paruꝰ canis latrat ppt̄ tectam pellē ceruinā corā ipſo. vt queat ire doctꝰ ad ſiluas. ¶ Cōſtrue (fac vt tua plāta ſit ad libitū tuū dum potes curuare ipſam) ſupple quia (cū vetus fuerit ſolida ta in vigorē magnū nō flectes leuiter caput iperiale Rurſus ſi p̄mū). i. in p̄nꝰ patieris ſurgē tortā). i. curuā (ſꝑ ea) ſcʒ planta (manebit torta. vt eſt p̄mo. Sic hō dum puer eſt doceat̄ tenere iuſſa). i. p̄cepta (ne ille) ſupple puer (imbuat cor malis aſſuetis). i. cōſuetudinibꝰ. et (q̄zuis figulus mutauerit ollā argille) ſcʒ de tali terra factā (ſed nō poteſt adhibē formā ſicce) ſupple terre (catellus latrat. pellem ceruinā per tecta primitus. vt queat). i. poſſit ire doctus ad ſiluas) id eſt ad nemora.

Tres ſeruos tribus vſqʒ modis ſeruire videmꝰ
Non vni dn̄o tres ſimul immo tribus
Eſt nam. qui vite fidens mercede future
Subiacet imperijs obſequijſqʒ dei
Hic ſeruꝰ non eſt. quoniam qui frena ſalubris
Iuſticie patitur. liber et altus erit
Eſt quoqʒ qui miſero ſubiectus paret homello
Vt quondam primi conſtituere patres
Non tn̄ hunc totū ſibi ſubiugat imperioſum
Interior vinclis non retinetur homo
Tercius eſt ſeruꝰ vitio qui ſemper obedit
Hic penitus ſeruus viuit vtroqʒ modo

¶ Ponit aliam parabolam dicens. ꝙ ſunt tres ſerui in iſto mundo qui ſeruiūt tribꝰ. quorū vnus ſeruit deo. et iſte non vocatur proprie ſeruꝰ Alter ſeruit homini. ⁊ iſte vocatur ſeruꝰ liber. Alter ſeruit diabolo. ⁊ iſte p̄prie vocatur ſeruꝰ. ¶ Conſtrue (videmꝰ tres ſeruos tribꝰ modis ſeruire. non) ſupple ſeruiunt (vni) ſupple domino (immo tribꝰ nam) ſupple ille (qui eſt fidens mercede dei. hic non eſt ſeruꝰ) ſupple quia eſt liber (quoniam qui patitur frena iuſticie ſalubris erit liber ⁊ altus. quoqʒ). i. certe (ē ſubiectus qui paret) id eſt obedit (miſero homello). i. homini (vt primi patres quondam cōſtituere) id eſt cōſtituerūt (nō ſubiugat ſibi hunc totum imperioſum. homo interior). i. aīa (non retinet̄ vinculis (terciꝰ eſt ſeruꝰ qui ſemꝑ obedit vitio: hic). i. iſte (ſeruꝰ viuit penitꝰ vtroqʒ modo) id eſt ſubijcitur hominibꝰ et diabolo cōmittendo vitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Vt perpendiculo paries equetur oportet
Ne domus hoc ipſo deficiente ruat
Quomodo ſtare pt titubãtis machina muri
Si fundamẽtum debile fallat opus
A ſimili. Si quis ſublimes tendit ad artes
Principio partes corde neceſſe ſciat
Artes poſt partes veteres didicere poete
Idcirco magnũ promeruere decus
Primo dictantes et poſtea verſificantes
Tendentes ferule ſuppoſuere manus
Partibus imbutos ſapiẽtia duxit athenas
Quadriuiũ triuio cõtinuando ſibi.

¶ Ponit aliã pabo. di. ꝙ ſi aliq̃s nititur facẽ domum. illa dom⁹ nõ poterit ſuſtineri niſi habeat bonũ fundamentũ. ⁊ ꝙ paries ſiue muri equentur perpẽdiculo. ne muri titubãtes cadãt ꝓpt̃ defectum fundamẽtoꝝ et op⁹ fallat. i. deficiat. Ad ꝓpoſitum dicit ꝙ ſi aliq̃s tendat ad artes ſublimes. neceſſe eſt vt ꝑmo ſciat principia ⁊ ptes cordeten⁹. qꝛ qui neſcit partes inuanũ tendit ad artes. ¶ Cõſtrue (oportet vt paries equetur). i. aptet (perpẽdiculo). i. mẽſura (ne dom⁹ ruat). i. cadat (hoc ipſo) ſcꝫ muro (deficiẽte. quomodo machina muri titubãtiꝫ). i. tremẽtis (poteſt ſtare. ſi debile fundamẽtum op⁹ fallat). i. deſtruit (A ſimili. ſi q̃s tendit ad ſublimes artes). i. ad maiores ſciẽtias: neceſſe) ſupple eſt (vt ſciat primo partes corde). i. cordeten⁹ (veteres poete didicere). i. didicerũt artes poſt ptes (idcirco) id eſt ideo (promeruere) id ẽ promeruerũt (magnum dec⁹) id eſt honorem (primo dictãtes) id eſt componẽtes (et poſtea verſificantes manus tendentes ſuppoſuere) id eſt ſuppoſuerũt (ferule partib⁹ imbutos ſapiẽtia) id eſt arte (continuando ſibi) id eſt partib⁹ (triuio) id eſt ſcientia triuiali: ſcꝫ grãmatica. logica. ⁊ rhetorica (quadriuium). i. geometriam. aſtrologiam. arithmeticam et muſicam.

Illicitos miſerande puer cõpeſce furores
Scito ꝙ ad mortem cõmouet hoſtis eos
Aufert his mentẽ miſeroſqꝫ videto dolores
Altera plus iſtis ſunt meditanda tibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Eſto memoꝛ ꝙ puluis eris et vermibns eſca
In gelida putris quãdo iacebis humo
Non erit in mundo qui te velit vltra videre
Cum tua rancidioꝛ ſit carne rupta caro
Cur pꝛopꝛio caput enſe ſecas cur ſponte cathenas
Demonis incurris. cur ſua iuſſa facis
Motibus aſſidue ſurgentibꝰ obuins obſta
Nec ſuperet qui te ſic ſuperare putat

¶ Hic autoꝛ ponit vltimam parabolam. dicẽs ſic. O puer miſerãde cõpeſce furoꝛes illicitos. quia diabolus mouet eos vt ducãt te ad moꝛtem. auferẽdo tibi mentem de his que debes cogitare. ſcꝫ quid fueris. quid ſis. et quid eris. ⁊ quomodo tu de limo terre es factꝰ. Et memoꝛ eris ꝙ cras eris puluis ⁊ cinis et cum in terra ſepultꝰ fueris eris ipſis vermibꝰ putrida eſca. Et non erat aliquis amicoꝝ qui te amplius cupiat videre. qꝛ caro tua erit rancidioꝛ et magis putrida qꝫ caro coꝛrupta. Quare ergo ſecas caput tuum pꝛopꝛio enſe. Et quare incurris ſponte cathenas ⁊ laqueos demonis volũtatem eiꝰ implendo Ergo reſiſtere debes tentationibus ⁊ inſtantibꝰ ſuggeſtionibꝰ diaboli. ne ipſe te vincat in pꝛofundũ inferni te perducẽdo. ¶ Conſtrue (O miſerande puer) id eſt o miſer homo (compeſce) id eſt repꝛime (illicitos furoꝛes) id eſt pꝛaua opera (ſcito) id eſt ſcire debes (ꝙ hoſtis) id eſt diabolus (cõmouet) id eſt excitat (eos) ſcꝫ furoꝛes (ad moꝛtem) id eſt ad eternam damnationem. ſupple diabolus (aufert) id eſt auertit (mentem) id eſt cogitationẽ (his) id eſt ab his que debes cogitare (qꝫ) pꝛo et. et (videto) id eſt cogita (miſeros doloꝛes) id eſt magnas miſerias. ſcꝫ huiꝰ mundi (Altera) ſupple miſeranda (ſunt meditanda) id eſt cogitãda (tibi) a te (plus) id eſt magis (his) ſcꝫ pꝛedictis (Eſto memoꝛ). i. ſis recoꝛdãs (ꝙ eris). i. efficieris (puluis) id ẽ cinis (⁊ eſca). i. cibus (vermibꝰ. quando iacebis putris). i. putreſcens (in gelida humo). i. in frigida terra. ⁊ ſupple aliquis homo (nõ erit in mundo qui velit). i. cupiat (videre te vltra). i. amplius (cum). i. ex quo (caro tua). i. coꝛpus tuũ (ſit rancidioꝛ). i. fetidioꝛ (carne rupta). i. coꝛrupta (Cur) id eſt quare (ſecas). i. occidis (caput tuũ). i. aĩam tuam (ꝓpꝛio enſe). i. pꝛopꝛijs operibꝰ tuis (et cur incurris). i. incidis (ſponte). i. voluntarie (cathenas). i. laqueos (demonis). i. diaboli. et (cur facis ſua iuſſa). i. ſuã voluntatẽ. ſupple o homo tu (obuius). i. reſiſtẽs (obſta). i. reſiſte (motibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

ſurgentibus).i.ſuggeſtionibꝰ inſtantibus(aſſidue).i.cõtinue(ne)ꝑ vt non.vt ſupple diabolus non(ſuperet te)id eſt deuincat te ſibi cõſuetudo (qui)ſcꝫ diabolus(putat).i.eſtimat(ſic ſuperare te).i.deuincere te.

Heu quid hõ tantum querit qui trãſit vt vmbra
Qui nũc ſtare putat.nunc cadit ima petens
Quid certũ manet huic.niſi mors ⁊ mortis imago.
Hunc ſemꝑ ſequitur.hũc tenet.huncqꝫ trahit
Heu cur gaudet homo.cur ille ſuꝑbit.et ad quid
Cur ducit ſtatum.qui cinis eſt et erit
Cur cupit et metit et cur ſibi ſubdere temptat
Omnia.cur ſemꝑ viuere poſſe putat
Non ſic non quoniã perit illa putatio vana
Ros cadit.et vite rurſus ad ima ruit
Si ſtat homo vel dic quo facto cetera conſtant
Quid plus ſunt.vana.ſingula queqꝫ nihil

¶ Hic dicit.quid homo tantum querit cumulare diuitias.quia quando credit firmiter ſtare tũc trãſit vt vmbra.et ad ima cadit. Et nihil homini manet certum niſi mors ⁊ imago mortis.que ſemꝑ ſequit̃ hominẽ ſemper trahit atqꝫ ſemꝑ tenet. Heu cur homo gaudet ſiue ſuperbit.et ad quid. Cur etiam ipſe homo magnum ducit ſtatum ſiue pompam qui cinis eſt ⁊ erit Et cur cupit ſibi ſubdere omnia putando ſe ſemper viuẽ poſſe. Sed non eſt ſic.quoniam illa putatio vana perit ⁊ deficit atqꝫ cadit ſicut ros ⁊ ruit in nihilum.⁊ memoria eius perit de terra acſi nunqꝫ fuiſſꝫ ſuper terram. Quid amplius.omnia que poſſit homo in hoc mũdo conſequi vana ſunt ⁊ tranſitoria.nec in ipſis aliquid firmitatis eſſe cõſtat. Et ideo homo debet illa cupere que ſunt vera ⁊ eterna bona non tranſitoria ſiue caduca operando virtuoſe et ſe exercendo in rebus pijs.⁊ vt ipſis mediantibꝰ poſſit conſequi regnum celorum. Quod nobis concedere dignetur qui regnat trinus ⁊ vnus in ſecula ſeculorum Amen.

¶ Cõſtrue(Heu quid)id eſt ad quid(homo querit)id eſt cumulat(tantum(ſupple diuitiarum(qui)ſcilicet homo(tranſit)id eſt perit(vt vmbra)id eſt ad nihilum(qui)ſcꝫ homo(putat nunc ſtare)ſupple firmiter. et ipſe(cadit nunc petẽs ima)id eſt in fimum ſtatum(Quid certum manet huic)ſcꝫ homini(niſi mors ⁊ imago mortis)quia mors(ſemꝑ ſequi

tur hunc.ſemper trahit hunc.atq; ſemper tenet hunc)ſcz hoīem(Hen
cur homo gaudet.cur ille ſuperbit)id eſt exaltat ſe(et ad quid)ſupple ſu-
perbit.⁊ cur ducit ſtatum)id eſt pomp... qui eſt cinis ⁊ erit)cinis(Cur
cupit)id eſt quare auarus eſt(et metit)id eſt cumulat(et cur tēpat ſubde
re ſibi omnia.cur ſemper putat)id eſt eſtimat ſe(poſſe viuere)in hoc mū
do(Non ſic non ſic)ſupple erit(quoniā illa vana putatio perit vt ros)
a facie ſolis(et ruit).i.cadit(rurſus).i.iterum(ad ima vite)id eſt ad ter-
minum vite(Sic homo ſtat)ſcz in hoc mundo(vel dic quo facto id eſt
qua conditione(cetera)ſupple opera homīs(conſtāt)id eſt reputantur
(quid plus ſunt)niſi(ſingula vana)ſunt.et(queq;)id eſt quecūq; facta
hominis.ſupple ſunt(nihil)id eſt ad nihilum reputantur.

¶ Doctrinale altum parabolarum Alani
cum gloſa finit feliciter. Impreſſum Da-
uentrie Per me Richardum paſraet. An-
no dñi. M.cccc.xcix. Nona Marcij



Aimen domenus
Vanden heer sijn zielsinn

Vanden pelsaed dit ghescreven es bes
wonderlyc sy onzen voghen amen
domminis vanden heer amen

Dns regit me et nichil michi
deerit in loco pascue ubi me
collocavit amen Dns memor fuit nostri
et benedixit nobis amen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
170 G 96